# HISTORIA DIPLOMATICA

# FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNIUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

---

TOMUS I.

PARS I.

PARISIIS
EXCUDEBANT PLON FRATRES,
36, VIA DICTA VAUGIRARD.
MDCCCLII.

galem prudentiam fideliter exhortamur, sollicite commonentes quatinus moras ulterius non innectens ad consummationem hujus negotii studiose procedas, quia longe majus quam hactenus tibi ostium est apertum.

Datum Sore, VI idus augusti, pontificatus nostri anno undecimo.

---

## ANNO 1209. — INDICTIONE 12.

---

Laterani, 9 januarii.

Innocentius papa Friderico regi Siciliae vehementer exprobrat quod, Panormitana ecclesia pastore viduata, canonicos super electione ad Sedem Apostolicam appellantes in exilium relegare praesumpserit; memoransque tractatum inter se et Constantiam imperatricem de electionibus habitum, mandat ut quae attentaverit restauret.

(Edid. Baluze, *Epist. Innoc. III,* lib. XI, n° 208, t. II, p. 246.)

Innocentius, etc., carissimo in Christo filio Friderico illustri regi Sicilie, etc. Ex tenore litterarum tuarum nostris est auribus intimatum quod, Panormitana ecclesia viduata pastore, capitulum ejusdem ecclesie tibi multotiens supplicarunt ut eis praeberes licentiam pontificem eligendi; quibus cum tandem benignum prebuisses assensum, mandans eisdem ut invocata Spiritus Sancti gratia in personam idoneam convenirent, cantor, succentor et quidam alius a reliquis recedentes tuis jussionibus restiterunt, ejus concanonicis inhibentes ne ad nominationem procederent, ad Sedem Apostolicam appellando. Super quo tu vehementer commotus, disposuisti acriter in personas eorum injuriam hujusmodi vendicare, sed pro reverentia nostra et ordinis clericalis motu animi temperato, solum eis exilium indixisti, ut de cetero in regno tuo malignandi materiam non haberent; quod ob hoc nobis significare curasti, ne per-

suaderi nobis posset aliud ab eisdem. Nos igitur eis auditis mirati fuimus non modicum et commoti graviter contra eos qui hec tibi persuadere, fili carissime, presumpserant, coguoscentes profecto quod prava sint latera tua que tibi hujusmodi persuadent. Unde nimirum timemus ne persuasionibus eorumdem inductus, immo seductus potius, imitari velis vestigia crudelium tyrannorum qui de terra viventium suis iniquitatibus exigentibus sunt abscisi et nunc forte acrius cruciantur, cum non tua sorte contentus nostram presumpseris usurpare, jurisdictionem in clericos exercendo. Temporalibus enim debueras esse contentus que tamen habes a nobis, et non ad spiritualia que ad nos pertinent extendere manus tuas. [Inde memoratis Ozae et regis Ozias exemplis, ita pergit pontifex :] Verum fortassis ex eo te putas offensum quod in quodam privilegio predecessoribus tuis concesso, immo ab initio magis extorto, de appellationibus continetur, quasi appellando prefati clerici venerint contra illud; sed si diligentius attendisses quid actum fuerit super iis tempore clare memorie imperatricis Constantie tunc regine Sicilie matris tue, nequaquam id ad animum revocasses. Cum enim eadem venerabilem fratrem nostrum Neapolitanum archiepiscopum et dilectos filios Ham[ericum] archidiaconum Cathanie, magistrum Thomam de Gaieta justiciarium et Nicolaum judicem Vigiliensem pro innovando predicto privilegio et concedendo ac confirmando ei ac tibi regno ad nostram presentiam destinasset, et illi pro iis multipliciter institissent, non potuerunt a nobis aliquatenus obtinere ut illud vellemus privilegium innovare, propter quatuor capitula que continebantur in eo, videlicet de conciliis, legationibus, appellationibus et electionibus prelatorum. Tandem vero duo illorum ad predicte matris tue presentiam redeuntes, reliquis apud Sedem Apostolicam remanentibus, exposuerunt eidem super iis nostre beneplacitum voluntatis. Cui cum eadem sicut religiosa persona acquiescere studuisset, iidem ad Sedem Apostolicam iterum accesserunt et obtinuerunt a nobis illud privilegium innovari et confirmari ei et tibi regnum, tribus capitulis de appellationibus, legationibus et conciliis a privilegio prorsus amotis, et quarto, de electionibus scilicet, moderato. Quid autem super electionibus inter nos ac prefatam matrem tuam fuerit ordinatum,

cedula quam tibi presentibus mittimus interclusam te poterit plenius edocere. Monemus igitur serenitatem regiam et exhortamur attentius quatenus divine considerationis intuitu de cetero non attentes tibi jurisdictionem in spiritualibus vindicare, ne contra te ac regnum tuum divinam propter hoc provoces majestatem, sed in devotione sacrosancte Romane Ecclesie matris tue firmiter perseverans, eidem reverentiam debitam exhibeas et honorem, que sicut pia mater in iis et aliis necessitati ac utilitati tue diligenti sollicitudine providebit, et prefatos clericos revoces et permittas in terra tua pacifice commorari et sua beneficia libere possidere; dimittens omnino rancorem quem contra eos propter appellationem ab ipsis ad nos interpositam concepisti; sciturus pro certo quod nos constitutum de electionibus inter nos et sepedictam imperatricem matrem tuam habitum per totum regnum faciemus solemniter publicari ut secundum illud electiones de cetero celebrentur. Caveant autem illi qui te perversis consiliis non metuunt fascinare ne super hoc de cetero malignentur, quia divinam et nostram non effugient ultionem; cum tolerabilius sit ut humana vindicta percutiat perversores quam ira divina in te ac regnum tuum propter eorum iniquitates deseviat si remanserint incorrecte.

Datum Laterani, V idus januarii, pontificatus nostri anno undecimo.

---

In urbe felici Panormi, februario.

Fridericus rex Siciliae Joannicio archimandritae Sanctae Mariae de Terreto et ecclesiae ejus confirmat omnia privilegia et obedientias ejusdem in tenimentis Regii, Mesae, Sanctae Agathes et Sancti Niceti cum medietate salinae et obedientiis Tuchii, aliisque immunitatibus.

(Inedit. ex pergam. origin., in arch. D. Volpicellae Neapolit.; ubi leguntur duo privilegia Rogerii primi et secundi et tria Friderici nostri. Quod quidem instrumentum in integrum ad ann. 1224, mense julio, postea daturi, hic tantummodo locum, annum et mensem ad ornandam documentorum seriem exhibemus.)